

Inst. 1. Mens humana pendet a corpore ut existat, ergo perit cum corpore. Probi. ant. mens humana non producitur nisi dependenter a corpore, ergo &c. Resp. N. ant. ad cujus probationem Dist. non producitur nisi dependenter a corpore tanquam ab occasione, C. ant. tanquam a subjecto in quo, & per quod existat, N. ant. & conf. Si mens produceretur dependenter a corpore tanquam a subjecto in quo & per quod existeret, sicut rotunditas ceræ V. G. producitur dependenter a cera in qua recipitur, penderet quidem a corpore ut existeret, ac pereunte corpore ipsa interiret; sed producitur tantum dependenter a corpore tanquam ab occasione, quatenus scilicet, conformato & organis sufficienter instructo corpore cum quo mens destinata est constituere totum hominem, statim determinatur Deus ad creandam animam huic corpori conjungendam. Itaque anima non magis pendet a corpore ut existat, quam paries aliquis pendet ab alio pariete præexistente, ad cujus occasionem construitur, ut cum illo domum efficiat.

Inst. 2. Mens humana pendet a corpore ut operetur, ergo ut existat . . . Resp. Dist. ant. pendet a corpore ut operetur, tanquam ab occasione, C. ant. tanquam a principio suarum operationum, N. ant. & conf. Corpus non cogitat, non percipit, non vult, non sentit, ergo non est principium operationum animæ, sed est tantum occasio cogitandi, quatenus scilicet propter leges commercii, quod est inter il-